



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

15. de opere quintæ diei & sextæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

E P I T O M E

*Quia huc
tempora
annis.*

Sunt enim in signa serenitatis & tēpestatis, &
in tépora: quia per ea distinguiuntur quatuor
tépora anni. scilicet ver, aestatem, autūnum, hye-
mem. Vel sunt in signa & tempora, id est di-
stinctionem horarum: quia priusquam fie-
rent, ordo temporum nullis notabatur in-
ditiis, vel meridiana hora, vel quælibet hora,

D E O P E R E Q V I N T A E
Diei & sextæ.

D I S T I N C T . Decimæquintæ
C A P . Primum.

*Quinta die Volatilia & Natatilia ex
aquis producta sunt.*

De produc- **D**ixit etiam Deus, Producant aquæ re-
ptile animæ viuentis, & volatile su-
per terram. &c. Iis duobus, auibus sci-
mixtarū et licet & piscibus, duo elementa ornantur: &
sensibiliū. de eadē materia, id est aquis, pisces & aues
creauit, volatilia leuans in aera, & natatilia
remittens gurgiti.

6. d. C A P . Secundum. Sexta die creata sunt ani-
malia & reptilia terræ.

Dixit Deus, Producat terra animam vi-
uentem, iumenta, & reptilia, & bestias
terræ, secundum species suas, &c. Sex-
tæ diei opus describitur, cum terra suis ani-
malibus ornari dicitur.

C A P. Tertium. *Animalia vniuersa
creata sunt innoxia.*

Venenosa ac perniciosa animātia nihil homini nocuissent, si nō peccasset: sed puniendorū & terrendorum, vel probandæ aut perficiendæ virtutis causa noce-re cœperunt.

C A P. Quartum.. *Minuta animalia
tunc creata non fuere.*

Potest autem dici, q̄d quæ de corporibus animaliū maximè mortuorum, nascuntur, cum animalibus creata nō fuerunt, nisi potentialiter & naturaliter. Ea verò quæ ex terra vel ex aquis nascuntur, vel ex eis quæ terra germinante orta sunt, tunc creata fuisse non incongruē dici potest.

C A P. Quintum. *Post omnia factus
est Homo.*

Omibus autem creatis atque dispositis, nouissimè factus est Homo, tanquam dominus & possessor: qui & omnibus præferendus erat. Vnde sequitur, Vdit Deus quod esset bonū, & ait: Faciamus hominem ad imaginem, &c.

Quis sensus, Requieuit Deus die septimo ab omni opere.

Requieuisse dicitur Deus die septimo: non quasi operando lassus, sed ab vniuerso

f. 92. b.

*170. A. 1. 2.
170. b. 1. 8.*

A. J.

E P I T O M E

opere requieuit: quia nouam creaturam facere cessauit. Requiescere enim cessare dicitur. Vnde in Apoc. Non habebant requie di-
centia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, id est dicere
nō cessabat. Quod ergo dicitur, Pater meus
usque modo operatur illud, yniuersæ crea-
turæ continuā administrationem ostendit.

C.14

*Quis sensus, Deus compleuit opus
suum septimo die.*

Sed quæritur quomodo septimo die di-
catur Deus compleisse opus suum, cùm ab
omni opere illo die requieuerit, nec ali-
quod genus nouum rerum fecerit: nisi forte
dicitur die septimo compleuisse opus suum,
quia ipsum benedixit & sanctificauit. Sicut
subiicit scriptura, benedixit diei. 7. & sancti-
ficauit illū. Opus enim est benedictio & san-
ctificatio. Sicut Salomon aliquid operis fe-
cit, cùm templum dedicauit. Secundum autē
aliam translationem, quæ habet, Cōsumma-
uit Deus die sexto opera sua, quæstio nō ex-
urgit: quia consummatio eo die perfecta est,
iuxta illud, Vedit Deus cuncta quæ fecerat,
& erant valde bona. Secūdum naturam etiā
ex bono & malo consistit vniuersitatis ad-
mirabilis pulchritudo: quia malum loco suo
positum eminentius commendat bona. Illū
autem diem sanctificasse & benedixisse di-
citur, quia mystica præ cæteris benedictio-
ne & sanctificatione eum donauit.